LIBRAIRIE DE L. HACHETTE ET Cie

MAXIMES
TIRÉES
DE L'ÉCRITURE SAINTE
PAR ROLLIN

Texte Latin

Selections

MAXIMES

TIRÉES

DE L'ÉCRITURE SAINTE

(ANCIEN ET NOUVEAU TESTAMENT)

Charles

PAR ROLLIN

TEXTE LATIN

PUBLIÉ

AVEC DES SOMMAIRES EN FRANÇAIS

PARIS

LIBRAIRIE DE L. HACHETTE ET Cie

RUE PIERRE-SARRAZIN, N° 14

(Près de l'École de médecine)

1858

A LA MÊME LIBRAIRIE :

Maximes tirées de l'Écriture Sainte (Ancien et Nouveau Testament), *texte grec*. In-18, cart. 90 c.

Maximes tirées de l'Écriture Sainte (Ancien et Nouveau Testament), *texte français*. In-18, cart. 40 c.

Ch. Lahure, imprimeur du Sénat et de la Cour de Cassation,
rue de Vaugirard, 9, près de l'Odéon.

TABLE.

MANDATUM RECTORIS.

Nos Carolus Rollin, Rector universi studii Parisiensis, omnibus præsentes litteras inspecturis, Salutem. Jampridem a nobis viri boni efflagitant ut, quam pluribus in collegiis privatim aliquot professores piam consuetudinem usurpant quotidianâ Scripturæ sacræ recitatione suorum studia consecrandi, eam nos publicâ et communi lege sanciamus. Id quidem ipsa Academia, pietatis non minùs quàm doctrinæ parens, tacitè quodam modo innuit, dum imprimis jubet *ut pueri a magistris et litteras simul discant et bonis moribus imbuantur*. Hinc stati apud illam et crebrò indicti dies, quibus intermissa studia uni relinquunt pietati locum; hinc antiquus ille mos singulis in scholis diebus Sabbati pueros doctrinæ Christianæ præceptis instituendi; hinc denique laudabilis consuetudo initium et finem prælectionum ducendi a Christianis precibus: quibus si addatur quotidiana Scripturæ sacræ quantulacumque mentio, hoc velut divino sale reliqua puerorum studia condientur. Petamus sanè a profanis scriptoribus sermonis elegantiam, et ab iis verborum optimam supellectilem mutuemur. Sunt ista quasi pretiosa vasa, quæ ab Ægyptiis furari sinè piaculo licet. Sed absit ut in iis (quemadmodum olim Augustinus de suis magistris conquerebatur) incautis adolescentibus vinum erroris ab ebriis doctoribus propinetur. Qui autem poterimus id vitare periculi, nisi tot profanis ethnicorum hominum vocibus inseratur divina vox, Christianisque scholis, ut decet, quotidie intersit, imò

præsideat unus hominum magister Christus. Nec timendum ne divinus ille præceptor rejiciat a se pueros, qui ipse, dum in terris degeret, parvulos, ut ad se venirent, tam amanter invitabat. Scilicet ætas illa simplex, docilis, innocens, plena candoris et modestiæ, necdum imbuta pravis artibus, accipiendo Christi Evangelio maximè idonea est. Sed, proh dolor! brevi illam morum castitatem inficiet humanarum opinionum labes, sæculi contagio, consuetudinisque imperiosa lex; brevi, omnia trahens ad se blandis cupiditatum lenociniis, voluptas tenerum puerilis innocentiæ florem pervertet, nisi contra dulce illud venenum adolescentium mentes severis Christi præceptis tanquam cœlesti antidoto muniantur. Debent igitur magistri puerorum animis, dum patientes culturæ sunt, quotidie divini Verbi semina committere; quæ si in iis hac primâ ætate radices egerint, divinâ Christi adspirante gratiâ, fructum dabunt in tempore suo. Nam plantare, irrigare, magistrorum id munus est; dare verò incrementum, unius Christi. Nos ergo, ut optimorum virorum desiderio et muneri nostro faciamus satis, ex consilio integerrimorum Censorum præclaræ Facultatis Artium, quorum operâ in lustrandis nuper collegiis usi sumus, hanc legem indicimus singulis collegiorum professoribus, ut in posterum selectas e sacrâ Scripturâ, præsertim ex Evangeliis, aliquot sententias quotidie discipulis memoriter ediscendas proponant, iisdemque divini illius libri, qui verba vitæ æternæ continet, quàm maximam fieri potest reverentiam inspirent.

Datum in ædibus nostris Laudunensibus, V. Cal. Octob. Anno Domini MDCXCVI.

PRIÈRES QUOTIDIENNES.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

ORAISON DOMINICALE.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum : adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

SALUTATION ANGÉLIQUE.

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ. Amen.

SYMBOLE DES APÔTRES.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ; et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus : descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit a mortuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

CONFESSION DES PÉCHÉS.

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi, pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere : meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Amen.

LES DIX COMMANDEMENTS DE DIEU[1].

1. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.

3. Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua : septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intrà portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.

4. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

9, 10. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

1. Les Commandements de Dieu sont extraits du chapitre xx du livre de l'Ancien Testament intitulé l'*Exode*, qui raconte la sortie des Hébreux d'Égypte et leur séjour dans le désert.

MAXIMES

TIRÉES

DE L'ANCIEN TESTAMENT.

MAXIMES TIRÉES DU LIVRE DE TOBIE.

Le livre de Tobie, écrit en langue chaldéenne, et dont saint Jérôme fit faire deux traductions, l'une en hébreu, l'autre en latin, contient l'histoire des deux Tobie. Tobie le père, emmené en captivité par le roi d'Assyrie avec les habitants de Samarie, resta fidèle au culte du vrai Dieu ; devenu aveugle, il supporta ce malheur avec la plus entière résignation. Son fils lui rendit la vue en lui frottant les yeux avec le fiel d'un poisson, comme l'ange Gabriel le lui avait recommandé. Les maximes qui suivent sont extraites des conseils adressés par Tobie le père à son fils et aux enfants de son fils.

1. Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias et prætermittas præcepta Dei nostri. C. IV. v. 6.

2. Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. V. 7.

3. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. V. 8 et 9.

4. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. V. 10.

5. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. V. 11.

6. Fiduciæ magnæ erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. V. 12.

7. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione. V. 13.

8. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio. V. 14.

9. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. V. 15.

10. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. V. 16.

11. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. V. 17.

12. Consilium semper a sapiente perquire. V. 19.

13. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. V. 20.

14. Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. V. 23.

15. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere. C. XII. v. 8.

16. Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. V. 9.

17. Qui faciunt peccatum et iniquitatem hostes sunt animæ suæ. V. 10.

18. Convertimini, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quòd faciet vobiscum misericordiam suam. C. XIII. v. 8.

19, 20, 21. Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum sæculorum. V. 12.

MAXIMES TIRÉES DES PROVERBES DE SALOMON.

Les Proverbes de Salomon présentent, en vingt-neuf chapitres, un recueil de sentences morales et de maximes de conduite pour toutes les circonstances de la vie. Salomon écrivit ce livre pour former le cœur et le jugement de son fils.

1. Timor Domini principium sapientiæ: sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. C. I. v. 7.

2. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. V. 10.

3. Si dixerint: « Veni nobiscum, » ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. V. 11 et 15.

4. Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; V. 24 et 25.

5. Ego quoquè in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis id quod timebatis advenerit. V. 26.

6. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. V. 32.

7. Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. C. II. v. 6.

8. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter. V. 7.

9. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit : V. 10.

10. Consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a viâ malâ et ab homine qui perversa loquitur. V. 11 et 12.

11. Ambules in viâ bonâ, et calles justorum custodias. V. 20.

12. Qui enim recti sunt habitabunt in terrâ, et simplices permanebunt in eâ. V. 21.

13. Impii verò de terrâ perdentur, et qui iniquè agunt auferentur ex eâ. V. 22.

14. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. C. III. v. 5.

15. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. V. 6.

16. Ne sis sapiens apud temet ipsum : time Deum, et recede a malo. V. 7.

17. Honora Dominum de tuâ substantiâ, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. V. 9.

18. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias; nec deficias quum ab eo corriperis. V. 11.

19. Quem enim diligit Dominus, corripit; et, quasi pater in filio, complacet sibi. V. 12.

20. Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiâ. V. 13.

21. Pretiosior est cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. V. 15.

22. Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac. V. 27.

23. Ne dicas amico tuo : « Vade et revertere, cras dabo tibi, » quum statim possis dare. V. 28.

24. Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. V. 31.

25. Quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. V. 32.

26. Egestas a Domino in domo impii ; habitacula autem justorum benedicentur. V. 33.

27. Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam. V. 34.

28. Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio, ignominia. V. 35.

29. Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea. C. IV. v. 4.

30. Ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. V. 5.

31. Ne dimittas eam [1], et custodiet te ; dilige eam, et conservabit te. V. 6.

32. Posside sapientiam, et in omni possessione tuâ acquire prudentiam. V. 7.

33. Arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab eâ, quum eam fueris amplexatus. V. 8.

34. Tene disciplinam, ne dimittas eam : custodi illam, quia ipsa est vita tua. V. 13.

35. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. V. 14.

36. Fuge ab eâ, nec transeas per illam : declina, et desere eam. V. 15.

37. Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. V. 23.

1. *Eam.* La sagesse.

38. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. V. 24.

39. Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. C. v. v. 21.

40. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. V. 22.

41. Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam. C. vi. v. 6.

42. Quæ quum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. V. 7 et 8.

43. Usquequo, piger, dormies? quando consurges e somno tuo? V. 9.

44. Si impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longè fugiet a te. V. 11.

45. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso. V. 12.

46. Huic extemplo veniet perditio sua, et subitò conteretur, nec habebit ultra medicinam. V. 15.

47. Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : V. 16.

48. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum ; V. 17 et 18.

49. Proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias. V. 19.

50. Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. V. 20.

51. Liga ea in corde tuo jugiter. V. 21.

52. Quum ambulaveris, gradiantur tecum; quum dormieris, custodiant te, et evigilans loquere cum eis. V. 22.

53. Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. C. VII. v. 1.

54. Serva mandata mea, et vives; et legem meam quasi pupillam oculi tui. V. 2.

55. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis quàm aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. C. VIII. v. 10 et 11.

56. Timor Domini odit malum. Arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. V. 13.

57. Meum est consilium, et æquitas; mea est prudentia; mea est fortitudo [1]. V. 14.

58. Argue sapientem, et diliget te. C. IX. v. 8.

59. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. V. 9.

60. Doce justum, et festinabit accipere. V. 9.

61. Principium sapientiæ timor Domini, et scientia sanctorum, prudentia. V. 10.

62. Si sapiens fueris, tibimet ipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum. V. 12.

63. Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ. C. X. v. 1.

64. Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit a morte. V. 2.

1. C'est le Seigneur qui parle.

65. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. V. 3.

66. Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas. V. 6.

67. Sapiens corde præcepta suscipit : stultus cæditur labiis. V. 8.

68. Odium suscitat rixas ; et universa delicta operit caritas. V. 12.

69. Via vitæ, custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat. V. 17.

70. In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia, prudentissimus est. V. 19.

71. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. V. 22.

72. Quod timet impius, veniet super eum : desiderium suum justis dabitur. V. 24.

73. Quasi tempestas transiens non erit impius ; justus autem quasi fundamentum sempiternum. V. 25.

74. Fortitudo simplicis, via Domini ; et pavor his qui operantur malum. V. 29.

75. Statera dolosa abominatio est apud Deum ; et pondus æquum voluntas ejus. C. XI. v. 1.

76. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. V. 2.

77. Simplicitas justorum diriget eos ; et supplantatio perversorum vastabit illos. V. 3.

78. Non proderunt divitiæ in die ultionis ; justitia autem liberabit a morte. V. 4.

79. Justitia simplicis diriget viam ejus ; et in impietate suâ corruet impius. V. 5.

80. Justitia rectorum liberabit eos; et in insidiis suis capientur iniqui. V. 6.

81. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes; et exspectatio sollicitorum peribit. V. 7.

82. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. V. 13.

83. Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem ubi multa consilia. V. 14.

84. Benefacit animæ suæ vir misericors : qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. V. 17.

85. Impius facit opus instabile : seminanti autem justitiam merces fidelis. V. 18.

86. Abominabile Domino cor pravum; et voluntas ejus in eis qui simpliciter ambulant. V. 20.

87. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. V. 24.

88. Si justus in terrâ recipit, quantò magìs impius et peccator? V. 31.

89. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. C. XII. v. 1.

90. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino : qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit. V. 2.

91. Verte impios, et non erunt : domus autem justorum permanebit. V. 7.

92. Doctrinâ suâ noscetur vir : qui autem vanus et excors est, patebit contemptui. V. 8.

93. Qui operatur terram suam satiabitur pa-

nibus : qui autem sectatur otium stultissimus est. V. 11.

94. Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est audit consilia. V. 15.

95. Dolus in corde cogitantium mala : qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. V. 20.

96. Non contristabit justum quidquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo. V. 21.

97. Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei. V. 22.

98. Non inveniet fraudulentus lucrum : et substantia hominis [1] erit auri pretium. V. 27.

99. Filius sapiens, doctrina patris ; qui autem illusor est, non audit quum arguitur. C. XIII. v. 1.

100. Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. V. 3.

101. Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. V. 10.

102. Astutus omnia agit cum consilio : qui autem fatuus est, aperit stultitiam. V. 16.

103. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. V. 18.

104. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. V. 20.

105. Peccatores persequitur malum : et justis retribuentur bona. V. 21.

1. Le Juste.

106. Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit. V. 24.

107. Domus impiorum delebitur : tabernacula verò justorum germinabunt. C. XIV. v. 11.

108. Innocens credit omni verbo : astutus considerat gressus suos. V. 15.

109. Sapiens timet et declinat a malo : stultus transilit et confidit. V. 16.

110. Impatiens operabitur stultitiam : et vir versutus odiosus est. V. 17.

111. Qui despicit proximum suum, peccat; qui autem miseretur pauperis, beatus erit. V. 21.

112. Errant qui operantur malum : misericordia et veritas præparant bona. V. 22.

113. In omni opere bono erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas V. 23.

114. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. V. 31.

115. In malitiâ suâ expelletur impius : sperat autem justus in morte suâ. V. 32.

116. Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum. V. 34.

117. Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. C. XV. v. 1.

118. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. V. 3.

119. Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet. V. 5.

120. Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. V. 8.

121. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. V. 12.

122. Cor sapientis quærit doctrinam : et os stultorum pascitur imperitiâ. V. 14.

123. Melius est parum cum timore Domini quàm thesauri magni et insatiabiles. V. 16.

124. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas. V. 18.

125. Abominatio Domini cogitationes malæ : et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. V. 26.

126. Per misericordiam et fidem purgantur peccata : per timorem autem Domini declinat omnis a malo. V. 27.

127. Longè est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet. V. 29.

128. Qui abjicit disciplinam despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis [1]. V. 32.

129. Timor Domini, disciplina sapientiæ, et gloriam præcedit humilitas. V. 33.

130. Omnes viæ hominis patent oculis ejus [2]. C. XVI. v. 2.

131. Abominatio Domini est omnis arrogans. V. 5.

132. Initium viæ bonæ facere justitiam : accepta est autem apud Deum magis quàm immolare hostias. V. 5.

1. Sous-ent. *sui*.
2. Le Seigneur.

133. Contritionem præcedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus. V. 18.

134. Melius est humiliari cum mitibus quàm dividere spolia cum superbis. V. 19.

135. Est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. V. 25.

136. Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. V. 32.

137. Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur. V. 33.

138. Melior est buccella sicca cum gaudio quàm domus plena victimis cum jurgio. C. XVII. v. 1.

139. Qui despicit pauperem exprobrat factori ejus; et qui ruinâ lætatur alterius non erit impunitus. V. 5.

140. Qui celat delictum, quærit amicitias; qui altero sermone repetit, separat fœderatos. V. 9.

141. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. V. 13.

142. Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. V. 15.

143. Quid prodest stulto habere divitias, quum sapientiam emere non possit? V. 16.

144. Qui evitat discere incidet in mala. V. 16.

145. Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. V. 17.

146. Qui perversi cordis est non inveniet bonum; et qui vertit linguam incidet in malum. V. 20.

147. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. V. 23.

148. Ira patris filius stultus, et dolor matris quæ genuit eum. V. 25.

149. Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est : pretiosi spiritûs vir eruditus. V. 27.

150. Impius, quum in profundum venerit peccatorum, contemnit ; sed sequitur eum ignominia et opprobrium. C. XVIII. v. 3.

151. Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii. V. 5.

152. Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. V. 9.

153. Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. V. 10.

154. Qui priùs respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. V. 13.

155. Mors et vita in manu linguæ ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. V. 21.

156. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, et hauriet jucunditatem a Domino. V. 22.

157. Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem et hi quos habuit separantur. C. XIX. v. 4.

158. Falsus testis non erit impunitus ; et qui mendacia loquitur, non effugiet. V. 5.

159. Doctrina viri per patientiam noscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi. V. 11.

160. Domus et divitiæ dantur a parentibus ; a Domino autem propriè uxor prudens. V. 14.

161. Qui custodit mandatum, custodit animam suam : qui autem negligit viam suam, mortificabitur. V. 16.

162. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis : et vicissitudinem suam reddet ei. V. 17.

163. Audi consilium et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. V. 20.

164. Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix. V. 26.

165. Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. C. xx. v. 1.

166. Honor est homini qui separat se a contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis. V. 3.

167. Justus, qui ambulat in simplicitate suâ, beatos post se filios derelinquet. V. 7.

168. Quis potest dicere : « Mundum est cor meum, purus sum a peccato? » V. 9.

169. Pondus et pondus, mensura et mensura ; utrumque abominabile est apud Deum. V. 10.

170. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus. V. 11.

171. Ei qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis. V. 19.

172. Qui maledicit patri suo et matri, exstinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. V. 20.

173. Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. V. 21.

174. Ne dicas : « Reddam malum ; » exspecta Dominum, et liberabit te. V. 22.

175. Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus C. xxi. v. 2.

176. Facere misericordiam et judicium magis placet Domino quàm victimæ. V. 3.

177. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. V. 7.

178. Anima impii desiderat malum; non miserebitur proximo suo. V. 10.

179. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. V. 12.

180. Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum et pinguia non ditabitur. V. 17.

181. Qui sequitur justitiam et misericordiam, invenit vitam, justitiam et gloriam. V. 21.

182. Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. V. 23.

183. Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. V. 27.

184. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. V. 30.

185. Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit. V. 31.

186. Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ. C. XXII. v. 1.

187. Callidus vidit malum, et abscondit se : innocens pertransiit, et afflictus est damno. V. 3.

188. Adolescens juxta viam suam; etiam quum senuerit, non recedet ab eâ. V. 6.

189. Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. V. 10.

190. Stultitia colligata est in corde pueri; et virga disciplinæ fugabit eam. V. 15.

191. Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium; appone autem cor ad doctrinam meam, V. 17.

192. Quæ pulchra erit tibi, quum servaveris eam in corde tuo, et redundabit in labiis tuis, ut sit in Domino fiducia tua. V. 18 et 19.

193. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in portâ: V. 22.

194. Quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus. V. 23.

195. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. V. 24 et 25.

196. Non æmuletur cor tuum peccatores; sed in timore Domini esto totâ die. C. XXIII. v. 17.

197. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. V. 20.

198. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sinè causâ vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? V. 29 et 30.

199. Ne intuearis vinum quando flavescit, quum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè; sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. V. 31 et 32.

200. Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis: quia rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur. C. XXIV. v. 1 et 2.

201. Cogitatio stulti peccatum est, et abominatio hominum detractor. V. 9.

202. Si dixeris : « Vires non suppetunt, » qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. V. 12.

203. Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. V. 15.

204. Septies enim cadet justus, et resurget : impii autem corruent in malum. V. 16.

205. Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruinâ ejus ne exsultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. V. 17 et 18.

206. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios : V. 19.

207. Quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum exstinguetur. V. 20.

208. Time Dominum, fili mi, et regem, et cum detractoribus non commiscearis; quoniam repentè consurget perditio eorum. V. 21 et 22.

209. Cognoscere personam in judicio non est bonum. V. 23.

210. Qui dicunt impio : « Justus es, » maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur, et super illos veniet benedictio. V. 24 et 25.

211, 212. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò, ne postea emendare non possis, quum dehonestaveris amicum tuum. C. XXV. v. 8.

213. Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. V. 14.

214. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere : Dominus reddet tibi. V. 21 et 22.

215. Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. V. 23.

216. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. C. XXVI. v. 4.

217. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem præbebit insipiens. V. 12.

218. Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem; ita vir qui nocet amico suo, et, quum fuerit deprehensus, dicit : « Ludens feci. » V. 18 et 19.

219. Quum defecerint ligna, exstinguetur ignis : et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. V. 20.

220. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. V. 21.

221. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. V. 22.

222. Qui fodit foveam incidet in eam; et qui volvit lapidem, revertetur ad eum. V. 27.

223. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. C. XXVII. v. 1.

224. Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. V. 2.

225. Meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oscula odientis. V. 6.

226. Unguento et variis odoribus delectatur

cor; et bonis amici consiliis anima dulcoratur. V. 9.

227. Viri mali non cogitant judicium; qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. C. XXVIII. v. 5.

228. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. V. 9.

229. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. V. 13.

230. Beatus homo qui semper est pavidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum. V. 14.

231. Qui ambulat simpliciter salvus erit: qui perversis graditur viis concidet semel. V. 18.

232. Vir fidelis multùm laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens. V. 20.

233. Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit; iste et pro buccellâ panis deserit veritatem V. 21.

234. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magìs quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. V. 23.

235. Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. V. 24.

236. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. V. 26.

237. Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus; et eum sanitas non sequetur. C. XXIX. v. 1.

238. Novit justus causam pauperum; impius ignorat scientiam. V. 7.

239. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. V. 9.

240. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. V. 12.

241. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. V. 14.

242. Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. V. 15.

243. Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. V. 17.

244. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magìs speranda est quàm illius correptio. V. 20.

245. Vir iracundus provocat rixas; et qui ad impugnandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. V. 22.

246. Superbum sequitur humilitas; et humilem spiritu suscipiet gloria. V. 23.

247. Qui timet hominem, citò corruet : qui sperat in Domino, sublevabitur. V. 25.

248. Abominantur justi virum impium; et abominantur impii eos qui in rectâ sunt viâ. V. 27.

MAXIMES TIRÉES DE L'ECCLÉSIASTE.

L'Ecclésiaste est, comme les Proverbes, l'œuvre de Salomon. Le sage roi y présente en douze chapitres un ensemble de maximes qui toutes ont pour but de montrer la vanité des biens et des plaisirs de ce monde.

1. Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas. C. I. v. 2.

2. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritûs. V. 14.

3. Perversi difficilè corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. V. 15.

4. Dixi ego in corde meo : «Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis; » et vidi quòd hoc quoquè esset vanitas. C. II. v. 1.

5. Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. V. 11.

6. Vidi quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantùm differt lux a tenebris. V. 13.

7. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multò enim melior est obedientia quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. C. IV. v. 17.

8. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. C. V. v. 1.

9. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed, quodcumque voveris, redde. V. 3.

10. Multò melius est non vovere quàm post votum promissa non reddere. V. 4.

11. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam ; neque dicas coram Angelo : « Non est Providentia ; » ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. V. 5.

12. Melius est ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii : in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurus sit. C. VII. v. 3.

13. Melius est a sapiente corripi quàm stultorum adulatione decipi. V. 6.

14. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. V. 10.

15. Ne impiè agas multùm ; et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. V. 18.

16. Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit. C. VIII. v. 1.

17. Ego cognovi quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. V. 12.

18. Est et alia vanitas, quæ fit super terram : sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum ; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. V. 14.

19. Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo utrùm amore an odio dignus sit. C. IX. v. 1.

20. Scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium. C. XI. v. 9.

21. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam

a carne tuâ : adolescentia enim et voluptas vana sunt. V. 10.

22. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis. C. XII. V. 1.

23. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. V. 13.

24. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. V. 14.

MAXIMES TIRÉES DU LIVRE DE LA SAGESSE.

Le livre de la Sagesse, longtemps attribué au roi Salomon, paraît avoir été écrit un siècle seulement avant la venue de Jésus-Christ. Il se compose de dix-neuf chapitres, dont les dix premiers sont consacrés à l'éloge de la sagesse, c'est-à-dire de la philosophie religieuse et morale, de la philosophie pratique et de la science; les neuf autres contiennent des réflexions sur les aventures des Israélites dans le désert, sur l'idolâtrie, sur le polythéisme. Ces deux parties ont, comme on le voit, des objets fort divers.

1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. C. I. V. 1.

2. Perversæ cogitationes separant a Deo : probata autem virtus corripit insipientes. V. 3.

3. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. V. 4.

4. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fic-

tum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sinè intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. V. 5.

5. Qui loquitur iniqua non potest latere; nec præteriet illum corripiens judicium. V. 8.

6. In cogitationibus enim impii interrogatio erit; sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. V. 9.

7. A detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. V. 11.

8. Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. C. II. v. 23.

9. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. C. III. v. 1.

10. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. V. 4.

11. In paucis vexati, in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se. V. 5.

12. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. V. 6.

13. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi; quoniam donum et pax est electis ejus. V. 9.

14. Impii secundùm quæ cogitaverunt, correptionem habebunt; qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt. V. 10.

15. Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est. V. 11.

16. Multigena improborum multitudo non erit utilis. C. IV. v. 3.

17. Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. V. 7.

18. Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. V. 8.

19. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. V. 8 et 9.

20. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. V. 10.

21. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. V. 11.

22. Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. V. 15.

23. Dicent intra se pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes : « Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. C. v. v. 3.

24. « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sinè honore. V. 4.

25. « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. V. 5.

26. « Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? V. 8.

27. « Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens ; et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam ; aut tanquam avis quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris ; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum. V. 9, 10, 11 et 12.

28. « Sic et nos nati continuò desivimus esse ; et

virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. » V. 13.

29. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. V. 16.

30. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dexterâ suâ teget illos, et brachio sancto suo defendet illos. V. 17.

31. Audite ergo, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ. C. VI. v. 2.

32. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. V. 3.

33. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. V. 4.

34. Judicium durissimum his qui præsunt fiet. V. 6.

35. Potentes potenter tormenta patientur. V. 7.

36. Non subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. V. 8.

37. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. V. 9.

38. Cogitare de illâ [1] sensus est consummatus: et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. V. 16.

39. Incorruptio facit esse proximum Deo. V. 20.

1. La sagesse.

40. Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. V. 21.

41. Neque cum invidiâ tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. V. 25.

42. Omne aurum in comparatione illius [1] arena est exigua; et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. C. VII. v. 9.

43. Infinitus thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. V. 14.

44. In manu illius [2] et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina. V. 16.

45. Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientiâ inhabitat. V. 28.

46. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum; luci comparata invenitur prior. V. 29.

47. Si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? C. VIII. v. 5.

48. Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vitâ hominibus. V. 7.

49. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, quum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo. C. x. v. 1 et 2.

1. La sagesse.
2. Le Seigneur.

50. Sapientia hos qui se observant a doloribus liberavit. V. 9.

51. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. C. xi. v. 17.

52. Omnia in mensurâ et numero et pondere disposuisti. V. 21.

53. Multùm valere tibi soli supererat semper; et virtuti brachii tui quis resistet? V. 22.

54. Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. V. 24.

55. Parcis omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. V. 27.

56. Ideò eos, qui exerrant, partibus corripis, et de quibus peccant, admones et alloqueris; ut, relictâ malitiâ, credant in te, Domine. C. xii. v. 2.

57. Virtutem ostendis, tu qui non crederis esse in virtute consummatus; et horum qui te nesciunt audaciam traducis. V. 17.

58. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magnâ reverentiâ disponis nos: subest enim tibi, quum volueris, posse. V. 18.

59. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniàm oportet justum esse et humanum, et bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. V. 19.

60. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. C. xiii. v. 1.

61. A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. V. 5.

62. Tu, Deus noster, suavis et verus es, patiens et in misericordiâ disponens omnia. C. xv. v. 1.

63. Nôsse te, consummata justitia est : et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis. V. 3.

64. Tu es qui liberas ab omni malo. C. xvi. v. 8.

65. Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. V. 13.

66. Homo occidit quidem per malitiam ; et, quum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est. V. 14.

67. Sed tuam manum effugere impossibile est. V. 15.

68. Magna sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua : propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. C. xvii. v. 1.

69. Impiis usque in novissimum sinè misericordiâ ira supervenit : præsciebat enim et futura illorum. C. xix. v. 1.

MAXIMES TIRÉES DE L'ECCLÉSIASTIQUE.

L'Ecclésiastique, qu'on intitule aussi quelquefois Livre de la Sagesse, est ordinairement attribué à Jésus, fils de Sirach. Il se compose de cinquante et un chapitres, et renferme des préceptes moraux et des exhortations à la piété et à la vertu.

1. Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. C. i. v. 1.

2. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. V. 13.

3. Plenitudo sapientiæ est timere Deum. V. 20.

4. Timor Domini expellit peccatum. V. 27.

5. Concupiscens sapientiam, conserva justitiam; et Deus præbebit illam tibi. V. 33.

6. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizaberis in labiis tuis. V. 37.

7. Attende in illis, ne fortè cadas et adducas animæ tuæ inhonorationem. V. 38.

8. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: et in dolore sustine, et in humilitate tuâ patientiam habe. C. II. v. 4.

9. Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum. V. 6.

10. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus; et non deflectatis ab illo, ne cadatis. V. 7.

11. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? V. 11 et 12.

12. Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. V. 14.

13. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: et ideo non protegentur ab eo. V. 15.

14. Væ his qui perdiderunt sustinentiam: et quid facient, quum inspicere cœperit Dominus? V. 16 et 17.

15. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. V. 18.

16. Qui timent Dominum, inquirent quæ bene placita sunt ei; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. V. 19.

17. Judicium patris audite, filii, et sic facite ut salvi sitis. C. III. v. 2.

18. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis. V. 4.

19. Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. V. 5.

20. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. V. 6.

21. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore; et qui obedit patri, refrigerabit matrem. V. 7.

21 *bis*. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui genuerunt. V. 8.

22. In opere et sermone, et omni patientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo. V. 9 et 10.

23. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius. V. 14.

24. Et, si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tuâ : eleemosyna enim patris non erit in oblivione; nam pro peccato in justitiâ ædificabitur tibi. V. 15, 16 et 17.

25. Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem ! et est maledictus a Deo qui exasperat matrem. V. 18.

26. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. V. 20.

27. Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. V. 21.

28. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. V. 22.

29. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. V. 22.

30. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. V. 24.

31. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. V. 29.

32. Eleemosyna resistit peccatis. V. 33.

33. Deus prospector est ejus qui reddit gratiam; meminit ejus in posterum, et in tempore casûs sui inveniet firmamentum. V. 34.

34. Animam esurientem ne despexeris; non exasperes pauperem in inopiâ suâ. C. IV. v. 2.

35. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. V. 3.

36. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. V. 5.

37. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum, qui fecit illum. V. 6.

38. Declina pauperi sinè tristitiâ aurem tuam; et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine. V. 8.

39. Fili, conserva tempus, et devita a malo. V. 23.

40. Pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum. V. 24.

41. Ne accipias faciem adversùs faciem tuam, nec adversùs animam tuam mendacium. V. 26.

42. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. V. 30.

43. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato. V. 31.

44. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. V. 32.

45. Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, et usque ad mortem certa pro justitiâ, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. V. 33.

46. Noli citatus esse in linguâ tuâ, et inutilis et remissus in operibus tuis. V. 34.

47. Noli esse sicut leo in domo tuâ, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. V. 35.

48. Ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui. C. v. v. 2.

49. Et ne dixeris : « Quis me subjiciet propter facta mea ? » Deus enim vindicans vindicabit. V. 3.

50. Ne dixeris : « Peccavi, et quid mihi accidit triste? » Altissimus enim est patiens redditor. V. 4.

51. De propitiato peccato noli esse sinè metu, neque adjicias peccatum super peccatum. V. 5.

52. Et ne dicas : « Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. » Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius. V. 6 et 7.

53. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. V. 8 et 9.

54. Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. V. 10.

55. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientiâ proferas responsum verum. V. 13.

56. Justifica pusillum et magnum similiter. V. 18.

57. Si possides amicum, in tentatione posside illum, et ne facilè credas ei. C. VI. v. 7.

58. Amicus fidelis protectio fortis : qui autem invenit illum, invenit thesaurum. V. 14.

59. Fili, a juventute tuâ excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. V. 18.

60, 61. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant à te. V. 35.

62. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maximè assiduus esto : et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. V. 37.

63. Noli facere mala, et non te apprehendent. C. VII. v. 1.

64. Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. V. 4.

65. Noli quærere fieri judex, nisi valeas vir-

tute irrumpere iniquitates; ne fortè extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tuâ. V. 6.

66. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat, circumspector Deus. V. 12.

67. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona. V. 14.

68. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. V. 17.

69. Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritiâ illorum. V. 25.

70. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. V. 26.

71. In toto corde tuo honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. V. 28 et 29.

72. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis quomodo et illi tibi. V. 30.

73. In totâ animâ tuâ time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. V. 31.

74. In omni virtute tuâ dilige eum qui te fecit; et ministros ejus ne derelinquas. V. 32.

75. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. V. 38.

76. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. V. 39.

77. In omnibus operibus tuis, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. V. 40.

78. Non despicias hominem avertentem se a peccato : memento quoniam omnes in correpti ne sumus. C. VIII. v. 6.

79. Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quoniam omnes morimur. V. 8.

80. Non zeles gloriam et opes peccatoris; non enim scis quæ futura sit illius subversio. C. IX. v. 16.

81. Secundùm virtutem tuam cave te a proximo tuo, et cum sapientibus et prudentibus tracta. V. 21.

82. In timore Dei sit tibi gloriatio. V. 22.

83. In sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. V. 23.

84. In manu Dei potestas terræ; et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam. C. X. v. 4.

85. In manu Dei prosperitas hominis. V. 5.

86. Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. V. 6.

87. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia. V. 7.

88. Avaro nihil est scelestius. V. 10.

89. Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem : propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. V. 15 et 16.

90. Noli despicere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. V. 26.

91. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo qui timet Deum. V. 27.

92. Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo. C. XI v. 2.

93. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. V. 4.

94. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam; et quum interrogaveris, corripe justè. Priusquam audias, ne respondeas verbum; et in medio sermonum ne adjicias loqui. V. 7 et 8.

95. Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, et mane in loco tuo. V. 22.

96. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certè a Domino. C. XII. v. 2.

97. Non est ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti. V. 3.

98. Quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. V. 7.

99. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ: et qui communicaverit superbo, induet superbiam. C. XIII. v. 1.

100. Omni vitâ tuâ dilige Deum, et invoca illum in salute tuâ. V. 18.

101. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientiâ, et nequissima paupertas in ore impii. V. 30.

102. Qui acervat ex animo suo injustè, aliis congregat; et in bonis illius alius luxuriabitur. C. XIV. v. 4.

103. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. V. 5.

104. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. V. 12.

105. Ante mortem benefac amico tuo, et secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. V. 13.

106. Da et accipe, et justifica animam tuam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. V. 16 et 17.

107. Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur ibit cum illo. V. 20.

108. Beatus vir qui in sapientiâ morabitur, et qui in justitiâ suâ meditabitur. V. 22.

109. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. C. xv. v. 18.

110. Oculi Domini ad timentes eum; et ipse agnoscit omnem operam hominis. V. 20.

111. Melior est unus timens Deum quàm mille filii impii; et utile [1] est mori sinè filiis quàm relinquere filios impios. C. xvi. v. 3 et 4.

112. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua : precare ante faciem Domini, et minue offendicula. C. xvii. v. 21 et 22.

113. Quàm magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se! V. 28.

114. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. C. xviii. v. 15.

115. Antequam loquaris, disce. V. 19.

116. Ante judicium interroga te ipsum. V. 20.

117. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari. V. 22.

118. Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. V. 23.

[1] Sous-entendu *magis*.

119. Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertiâ. V. 27.

120. Operarius ebriosus non locupletabitur ; et qui spernit modica, paulatim decidet. C. xix. v. 1.

121. Qui peccat in animam suam, pœnitebit; et qui jucundatur in malitiâ, denotabitur. V. 6.

122. Audîsti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te; fidens quoniam te non disrumpet. V. 10.

123. Corripe proximum, ne fortè non dixerit ; et si dixerit, ne fortè iteret. V. 14.

124. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio: et non omni verbo credas. V. 15 et 16.

125. Melior est homo qui minuitur sapientiâ, et deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. V. 21.

126. Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies voluntarium peccatum. C. xx. v. 4.

127. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam ; et qui potestatem sibi sumit injustò, odietur. V. 8.

128. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assiduè erit. V. 26.

129. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hereditabunt. V. 27.

130. Mores hominum mendacium sinè honore, et confusio illorum cum ipsis sinè intermissione. V. 28.

131. Fili, peccâsti ? non adjicias iterum ; sed et

de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. C. XXI. v. 1.

132. Quasi a facie colubri fuge peccata; et, si accesseris ad illa, suscipient te. V. 2.

133. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. V. 7.

134. Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacitè ridebit. V. 23.

135. Susurro coinquinabit[1] animam suam, et in omnibus odietur. V. 31.

136. Jurationi non assuescat os tuum; nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo. C. XXIII. v. 9 et 10.

137. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. V. 12.

138. Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia. V. 29.

139. Nihil melius est quàm timor Dei, et nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. V. 37.

140. Gloria magna est sequi Dominum; longitudo enim dierum assumetur ab eo. V. 38.

141. Quæ in juventute tuâ non congregâsti, quomodo in senectute tuâ invenies? C. XXV. v. 5.

142. Quàm magnus qui invenit sapientiam et scientiam ! sed non est super timentem Dominum. V. 13.

143. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. C. XXVII. v. 6.

1. Le sujet est l'impie.

144. In medio insensatorum serva verbum tempori; in medio autem cogitantium assiduus esto. V. 13.

145. Narratio peccantium odiosa, et risus illorum in deliciis peccati. V. 14.

146. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo. V. 18.

147. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. V. 30.

148. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum : dolor autem consumet illos antequam moriantur. V. 32.

149. Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. C. xxviii. v. 1.

150. Relinque proximo tuo nocenti te; et tunc deprecanti tibi peccata solventur. V. 2.

151. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? V. 3.

152. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? V. 4.

153. Ipse, quum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? V. 5.

154. Memento novissimorum, et desine inimicari. V. 6.

155. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamentum Altissimi, et despice ignorantiam proximi. V. 8 et 9.

156. Abstine te a lite, et minues peccata. V. 10.

157. Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes. V. 15.

158. Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. V. 22.

159. Sepi aures tuas spinis, et ori tuo facito ostia et seras : aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos. V. 28 et 29.

160. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, et iterum redde proximo in tempore suo. C. xxix. v. 2.

161. Confirma verbum, et fideliter age cum illo, et in omni tempore invenies quod est tibi necessarium. V. 3.

162. Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro eleemosynâ non trahas illum. V. 11.

163. Propter mandatum assume pauperem; et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. V. 12.

164. Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. V. 15.

165. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo. C. xxx. v. 1.

166. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. V. 11.

167. Curva cervicem ejus in juventute, et tundo latera ejus dum infans est, ne fortè induret et non credat tibi. V. 12.

168. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. V. 13.

169. Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longè repelle a te. V. 24.

170. Multam malitiam docuit otiositas. C. XXXIII. v. 29.

171. Non amplifices super omnem carnem ; verùm sinè judicio nihil facias grave. V. 30.

172. Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est, et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. C. XXXIV. v. 5 et 6.

173, 174. Oculi Domini super timentes eum : protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casûs ; exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem. V. 19 et 20.

175. Dona iniquorum non probat Altissimus ; nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. V. 23.

176. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum : qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. V. 26 et 27.

177. Homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? V. 31.

178. Sacrificium salutare est attendere mandatis. C. XXXV. v. 2.

179. Qui facit misericordiam, offert sacrificium. V. 4.

180. Bene placitum est Domino recedere ab iniquitate; et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitiâ. V. 5.

181. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. V. 9.

182. Qui aurum diligit, non justificabitur; et qui insequitur consumptionem, replebitur ex eâ. C. XXXI. v. 5.

183. Exsultatio animæ et cordis vinum moderatè potatum. V. 36.

184. Vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit. V. 38.

185. Rectorem te posuerunt? Noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis. C. XXXII. v. 1.

186. Curam illorum habe, et sic conside, et omni curâ tuâ explicitâ recumbe. V. 2.

187. Sinè consilio nihil facias, et post factum non pœnitebit. V. 24.

188. Qui credit Deo, attendit mandatis; et qui confidit in illo, non minorabitur. V. 28.

189. Timenti Dominum non occurrent mala; sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. C. XXXIII. v. 1.

190. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundùm dispositionem ejus : sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundùm judicium suum. V. 13 et 14.

191. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemòr sis illius in opibus tuis. C. XXXVII. v. 6.

192. Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei. V. 15.

193. Cor boni consilii statue tecum; non est enim tibi aliud pluris illo. V. 17.

194. In omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. V. 19.

195. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. V. 20.

196. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est adjiciet vitam. V. 34.

197. In tuâ infirmitate ne despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te. C. XXXVIII. v. 9.

198. Averte a delicto, et dirige manus; et ab omni delicto munda cor tuum. V. 10.

199. Memento novissimorum, noli oblivisci; neque enim est conversio. V. 21 et 22.

200. Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum; mihi heri, et tibi hodie. V. 23.

201. Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. C. XXXIX. v. 24.

202. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. V. 30.

203. Non est in timore Domini minoratio, et non est in eo inquirere adjutorium. C. XL. v. 27.

204. Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. C. XLI. v. 11.

205. Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi et magni. V. 15.

206. Quum dederis, ne improperes. V. 28.

207. Omnia Dominus fecit, et piè agentibus dedit sapientiam. C. XLIII. v. 37.

MAXIMES

TIRÉES

DU NOUVEAU TESTAMENT.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉVANGILE.

On appelle Évangile (c'est-à-dire heureuse nouvelle) un des quatre livres historiques du Nouveau Testament qui contiennent la vie, les miracles, la mort, la résurrection et la doctrine de Jésus-Christ. Les seuls Évangiles reconnus par l'Église sont ceux de saint Matthieu, de saint Luc, de saint Marc et de saint Jean, tous quatre disciples de Jésus-Christ; tous les autres, car les premiers siècles de l'Église en virent paraître un assez grand nombre, sont regardés comme faux ou apocryphes. Les quatre évangélistes ont pour attributs caractéristiques les quatre animaux symboliques de l'Apocalypse : saint Matthieu, l'homme; saint Marc, le lion; saint Luc, le bœuf; saint Jean, l'aigle. Les maximes qui suivent sont tirées de la concorde évangélique, c'est-à-dire d'un évangile composé avec le texte des quatre évangélistes.

1. Misericordia ejus a progenie in progeniem timentibus eum. S. Luc, c. I. v. 50.

2. Jam securis ad radicem arborum posita est : omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. C. III. v. 9.

3. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. S. Matthieu, c. IV. v. 4.

4. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. S. Luc, c. IV. v. 8.

5. Lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est. S. Jean, c. I. v. 17.

6. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. C. III. v. 16.

7. Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis autem qui malè agit, odit lucem. V. 19 et 20.

8. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. V. 27.

9. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. C. IV. v. 24.

10. Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, et credite Evangelio. S. Marc, c. I. v. 15.

11. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. S. Jean, c. V. v. 29.

12. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. S. Matthieu, c. V. v. 3.

13. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. V. 4.

14. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. V. 5.

15. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. V. 6.

16. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. V. 7.

17. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. V. 8.

18. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. V. 9.

19. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. V. 10.

20. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. V. 16.

21. Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm scribarum et Pharisæorum[1], non intrabitis in regnum cœlorum. V. 20.

22. Audistis quia dictum est antiquis : « Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio. » Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. V. 21 et 22.

23. Iterum audistis quia dictum est antiquis : « Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. » Ego autem dico vobis non jurare omnino. Sit autem sermo vester « Est, est; non, non : » quod autem his abundantius est, a malo est. V. 33, 34 et 37.

24. Audistis quia dictum est : « Oculum pro oculo, et dentem pro dente. » Ego autem dico vobis non resistere malo : sed, si quis te percusserit in

1. Les scribes étaient les docteurs qui enseignaient la loi de Moïse et l'interprétaient au peuple. Les Pharisiens, secte ancienne et considérable de la Judée, affectaient une grande sévérité de principes pour cacher les mœurs les plus dissolues.

dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram : et ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. V. 38, 39, 40 et 41.

25. Audistis quia dictum est : « Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. » Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos ; benedicite maledicentibus vobis, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos : ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. V. 43, 44 et 45.

26. Diligite inimicos vestros ; benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi. S. Luc, c. vi, v. 35.

27. Estote ergo misericordes, sicut et pater vester misericors est. V. 36.

28. Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est. S. Matthieu, c. v. v. 48.

29. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. C. vi. v. 1.

30. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. V. 14 et 15.

31. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures

non effodiunt nec furantur : ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. V. 20 et 21.

32. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. V. 24.

33. Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini; date, et dabitur vobis. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. S. Luc, c. VI. v. 37 et 38. S. Mathieu, c. VII. v. 2.

34. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. S. Matthieu, c. VII. v. 7 et 8.

35. Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis; hæc est enim lex et prophetæ. V. 12.

36. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! V. 13 et 14.

37. Non omnis qui dicit mihi «Domine, Domine,» intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. V. 21.

38. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. S. Luc, c. VII. v. 47.

39. Qui non est mecum, contra me est; et qui

non congregat mecum, spargit. S. Matthieu, c. XII. v. 30.

40. Ex abundantiâ cordis os loquitur : bonus homo de bono thesauro profert bona ; et malus homo de malo thesauro profert mala. V. 34 et 35.

41. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii : ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. V. 36 et 37.

42. Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. S. Luc, c. XI. v. 28.

43. Semen est verbum Dei. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et quum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. S. Luc, c. VIII. v. 11. S. Marc. c. IV. v. 15.

44. Hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur, qui quum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud ; et non habent radicem in se, sed temporales sunt : deinde, ortâ tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur, et in tempore tentationis recedunt. S. Marc, c. IV. v. 16 et 17. S. Luc, c. VIII. v. 13.

45. Et alii sunt qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt ; et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sinè fructu efficitur. S. Marc, c. IV. v. 18 et 19.

46. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, intelligunt, et fructum afferunt in

patientiâ ; et unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. S. Marc, c. IV. v. 20. S. Luc, c. VIII. v. 15.

47. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem ; et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. S. Matthieu, c. XIII. v. 41, 42 et 43.

48. Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. S. Luc, c. X. v. 2.

49. Gratis accepistis, gratis date. S. Matthieu, c. X. v. 8.

50. Dignus enim est operarius cibo suo. V. 10.

51. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. V. 22.

52. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est : qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. V. 32 et 33.

53. Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus ; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. V. 37.

54. Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. V. 38.

55. Qui recipit vos, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui misit me. V. 40.

56. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit

justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. V. 41.

57. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. V. 42.

58. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum : et ego resuscitabo eum in novissimo die. S. Jean, c. VI. v. 44.

59. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ. V. 51 et 52.

60. Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. V. 54.

61. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. V. 57 et 58.

62. Deus dixit : « Honora patrem et matrem ; » et : « Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. » S. Matthieu, c. XV. v. 3 et 4.

63. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt; et ea coinquinant hominem : de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, superbia, stultitia : omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem. S. Matthieu, c. XV. v. 18 et 19. S. Marc, c. VII. v. 22 et 23.

64. Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. S. Matthieu, c. XVI. v. 24.

65. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? V. 26.

66. Qui me erubuerit et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in majestate suâ, et Patris, et sanctorum angelorum. S. Luc, c. IX. v. 26.

67. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. S. Matthieu, c. XVIII. v. 3.

68. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. V. 4.

69. Væ mundo a scandalis : necesse est enim ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. V. 7.

70. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. S. Marc, c. IX. v. 42 et 43.

71. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. V. 44 et 45.

72. Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum

Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. V. 46 et 47.

73. Pacem habete inter vos. V. 49.

74. Venit Filius hominis salvare quod perierat. S. Matthieu, c. XVIII. v. 11.

75. Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. V. 15, 16 et 17.

76. Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. V. 19.

77. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. V. 20.

78. Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. S. Jean, c. VII. v. 24.

79. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso et cognoverit quid faciat? V. 51.

80. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. C. VIII. v. 31 et 32.

81. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. V. 34.

82. Qui ex Deo est, verba Dei audit. V. 47.

83. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus

suis : mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit et dispergit oves. C. x. v. 11 et 12.

84. Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. S. Luc, c. x. v. 16.

85. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. S. Matthieu, c. xi. v. 28.

86. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde ; et invenietis requiem animabus vestris. V. 29.

87. Si vos, quum sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ? S. Luc, c. xi. v. 13.

88. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et rutam, et anethum, et cuminum, et omne olus, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem, et caritatem Dei. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. S. Matthieu, c. xxiii. v. 23.

89. Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. S. Luc, c. xii. v. 1.

90. Nihil opertum est, quod non reveletur ; neque absconditum, quod non sciatur. V. 2.

91. Dico vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis ; timete eum, qui postquam occiderit, ha-

bet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. V. 4 et 5.

92. Videte, et cavete ab omni avaritiâ. V. 15.

93. Nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli : hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. V. 29 et 30.

94. Quærite primùm regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. V. 31.

95. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit : ideo et vos estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est. S. Matthieu, c. xxiv. v. 42 et 44.

96. Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo ; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. S. Luc, c. xii. v. 48.

97. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. C. xiii. v. 3.

98. Contendite intrare per angustam portam ; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. V. 24.

99. Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. C. xv. v. 10.

100. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. C. xvi. v. 10.

101. Facilius est cœlum et terram præterire quàm de lege unum apicem cadere. V. 17.

102. Oportet semper orare, et non deficere. C. xviii. v. 1.

103. Nemo bonus, nisi solus Deus. V. 19.

104. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. S. Matthieu, c. xix. v. 17.

105. Ne adulteres; ne occidas; ne fureris; ne falsum testimonium dixeris; ne fraudem feceris. S. Marc, c. x. v. 19.

106. Honora patrem tuum et matrem tuam; et diliges proximum tuum sicut te ipsum. S. Matthieu, c. xix. v. 19.

107. Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt! S. Marc, c. x. v. 23.

108. Quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! V. 24.

109. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. S. Luc, c. xviii. v. 27.

110. Multi sunt vocati, pauci verò electi. S. Matthieu, c. xx. v. 16.

111. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. S. Jean, c. xii. v. 25.

112. Et quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. S. Marc, c. xi. v. 25 et 26.

113. Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. V. 24.

114. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. S. Matthieu, c. xxii. v. 21.

115. Audi, Israël: Dominus Deus tuus Deus unus est; et diliges Dominum Deum tuum ex toto

corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. S. Marc, c. XII. v. 29 et 30. S. Matthieu, c. XXII. v. 38.

116. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. S. Marc. c. XII. v. 31. S. Matthieu, c. XXII. v. 40.

117. Vos nolite vocari Rabbi[1] : unus est enim magister vester ; omnes autem vos fratres estis. S. Matthieu, c. XXIII. v. 8.

118. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus : qui major est vestrûm erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur ; et qui se humiliaverit, exaltabitur. V. 10, 11 et 12.

119. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. S. Luc, c. XXI. v. 19.

120. Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ ; et superveniat in vos repentina dies illa. V. 34.

121. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. V. 36.

122. Quum venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem,

1. Rabbins, docteurs versés dans la science de l'Écriture sainte et des lois.

sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. S. Matthieu, c. xxv. v. 31, 32 et 33.

123. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitâstis me; in carcere eram, et venistis ad me. Amen dico vobis: Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » V. 34, 35, 36 et 40.

124. Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitâstis me. Amen dico vobis: Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. » V. 41, 42, 43 et 45.

125. Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. V. 46.

126. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. S. Jean, c. xiii. v. 34.

127. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. V. 35.

128. Si diligitis me, mandata mea servate. C. xiv. v. 15.

129. Qui habet mandata mea, et servat ea,

ille est qui diligit me : qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. V. 21.

130. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. V. 23.

131. Qui non diligit me, sermones meos non servat. V. 24.

132. Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ; quia sinè me nihil potestis facere. C. xv. v. 4 et 5.

133. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. V. 7.

134. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : manete in dilectione meâ. V. 9.

135. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. V. 12.

136. Non vos me elegistis ; sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. V. 16.

137. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. V. 18.

138. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. V. 19.

139. Amen, amen, dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. C. XVI. v. 20.

140. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; usque modò non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis. V. 23 et 24.

141. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. V. 33.

142. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem : spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. S. Matthieu, c. XXVI. v. 41.

143. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur. S. Marc, c. XVI. v. 16.

144. Sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertiâ die; et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymâ. S. Luc, c. XXIV. v. 46 et 47.

MAXIMES TIRÉES DES ACTES DES APOTRES.

Les Actes des Apôtres, écrits originairement en grec par saint Luc, racontent les principales actions des apôtres, l'histoire et les progrès de l'Église depuis l'ascension de Jésus-Christ, l'an 32, jusqu'à l'arrivée de saint Paul à Rome, l'an 65, sous le règne de Néron.

1. Non est in alio aliquo salus : nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. C. IV. v. 12.

2. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. C. v. v. 29.

3. Non est personarum acceptor Deus, sed, in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi. C. x. v. 34 et 35.

4. Huic[1] omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. V. 43.

5. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. C. xiv. v. 21.

6. Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari. C. xv. v. 11.

7. Quærere Deum, quàmvis non longè sit ab unoquoque nostrûm : in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. C. xvii. v. 27 et 28.

8. Oportet meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quàm accipere. C. xx. v. 35.

9. In hoc et ipse studeo, sinè offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper. C. xxiv. v. 16.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX ROMAINS.

Nous avons de saint Paul quatorze épîtres adressées aux Églises des différentes régions qu'il avait visitées. Ces épîtres renferment toutes les vérités fondamentales de la doctrine chrétienne; elles sont toutes remarquables par la force de la logique et la sagesse des pré-

1. Jésus-Christ.

cepter. Saint Paul fut amené de Jérusalem à Rome pour y être jugé par l'empereur. Absous, il y demeura quelque temps pour prêcher avec saint Pierre; il se rendit de là en Orient, et revint encore à Rome, où il eut la tête tranchée, sous Néron, l'an 66 de J. C.

1. Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti. C. I. v. 16.

2. Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent. V. 18.

3. Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. V. 28.

4. Qui talia agunt, digni sunt morte, et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. V. 32.

5. Existimas hoc, o homo, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationes justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. C. II. v. 3, 4, 5 et 6.

6. Iis quidem qui, secundùm patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam : iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. V. 7 et 8.

7. Tribulatio et angustia in omnem animam

hominis operantis malum : gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum. V. 9 et 10.

8. Non faciamus mala, ut veniant bona. C. III. v. 8.

9. Omnes peccaverunt, et egent gloriâ Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. V. 23 et 24.

10. Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. C. v. v. 3, 4 et 5.

11. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. V. 12.

12. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. V. 18.

13. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis ejus : sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. C. VI. v. 12 et 13.

14. Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ. V. 18.

15. Stipendia peccati, mors : gratia Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. V. 23.

16. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. C. VIII. v. 8.

17. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. V. 9.

18. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. V. 13.

19. Si filii [1], et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. V. 17.

20. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. V. 18.

21. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis. V. 26 et 27.

22. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. V. 28.

23. Si Deus pro nobis, quis contra nos? V. 31.

24. Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. V. 34.

25. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : « Quid me fecistì sic? » C. IX. v. 20.

1. Sous-entendu *Christi sumus*.

26. Tu fide stas : noli altum sapere; sed time. C. XI. v. 20.

27. Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. V. 34, 35 et 36.

28. Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et bene placens, et perfecta. C. XII. v. 2.

29. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. V. 5.

30. Dilectio sinè simulatione : odientes malum, adhærentes bono. V. 9.

31. Caritate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes; sollicitudine non pigri; spiritu ferventes; Domino servientes. V. 10 et 11.

32. Spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes; necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. V. 12 et 13.

33. Benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere. V. 14.

34. Gaudere cum gaudentibus; flere cum flentibus. V. 15.

35. Id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, nolite esse prudentes apud vosmet ipsos. V. 16.

36. Nulli malum pro malo reddentes; providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. V. 17.

37. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. V. 18.

38. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. V. 21.

39. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. C. XIII. v. 1 et 2.

40. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sinè causâ gladium portat : Dei enim minister est, vindex in iram ei *qui malum agit. V. 4.*

41. Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. V. 5.

42. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem. V. 7.

43. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. V. 8.

44. Sicut in die honestè ambulemus ; non in comissationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis ; non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. V. 13 et 14.

45. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo. C. XIV. v. 10 et 12.

46. Quæ pacis sunt, sectemur ; et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. V. 19.

17. Debemus nos firmiores infirmitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. C. xv. v. 1.

18. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut, per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. V. 4.

19. Soli sapienti Deo per Jesum Christum, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. C. xvi. v. 27.

MAXIMES TIRÉES DES ÉPITRES DE SAINT PAUL AUX CORINTHIENS.

Saint Paul, peu de temps avant d'être amené prisonnier à Rome, avait été prêcher le christianisme à Corinthe. Les Juifs l'accusèrent devant le proconsul d'Achaïe, Gallion, qui refusa d'intervenir dans cette querelle.

1. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est : iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Épître I, c. i. v. 18.

2. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? V. 20.

3. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit, ut confundat fortia : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. V. 27 et 29.

4. Ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio ; ut, quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur. V. 30 et 31.

5. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. C. III. v. 7.

6. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. V. 8.

7. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. V. 16 et 17.

8. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. C. IV. v. 4.

9. Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. V. 5.

10. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? V. 7.

11. Laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus. V. 12 et 13.

12. Nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. C. VI. v. 9 et 10.

13. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti

enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. V. 15, 19 et 20.

14. Unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. C. VII. v. 17.

15. Tempus breve est : reliquum est ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur ; præterit enim figura hujus mundi. V. 29 et 31.

16. Scientia inflat, caritas verò ædificat. C. VIII. v. 1.

17. Qui se existimat stare, videat ne cadat. C. X. v. 12.

18. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. V. 13

19. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. V. 31.

20. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum ; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. V. 20 et 21.

21. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. C. XI. v. 27.

22. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat ; qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. V. 28 et 29.

23. Nemo potest dicere « Dominus Jesus », nisi in Spiritu Sancto. C. XII. v. 3.

24. Si linguis hominum loquar et angelorum,

caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. C. XIII. v. 1.

25. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. V. 2.

26. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. V. 3.

27. Caritas patiens est, benigna est : caritas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. V. 4, 5, 6 et 7.

28. Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. C. XV. v. 10.

29. Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. V. 19.

30. Nolite seduci; corrumpunt mores bonos colloquia mala. V. 33.

31. Vigilate, state in fide : viriliter agite, et confortamini. C. XVI. v. 13.

32. Omnia vestra in caritate fiant. V. 14.

33. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. V. 22.

34. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare ali-

quid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Épître II. c. III. v. 4 et 5.

35. Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. C. V. V. 15.

36. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. C. VIII. V. 9.

37. Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet. V. 12.

38. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. C. IX. V. 7.

39. Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis : non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ; quorum finis erit secundùm opera ipsorum. C. XI. V. 14 et 15.

40. Dixit mihi : « Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. » Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. C. XII. V. 9.

41. Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete : et Deus pacis e dilectionis erit vobiscum. C. XIII. V. 11.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX GALATES.

La Galatie, contrée de l'Asie Mineure, située entre la Bithynie, la Paphlagonie, le Pont, la Cappadoce et la Phrygie, fut visitée par saint Paul, qui y séjourna quelque temps pendant ses prédications en Orient.

1. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. C. I. v. 9.

2. Non est Judæus neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. C. III. v. 28.

3. Bonum æmulamini in bono semper. C. IV. v. 18.

4. Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. C. V. v. 16.

5. Manifesta sunt opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. V. 19, 20 et 21.

6. Fructus autem spiritûs est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. V. 22 et 23.

7. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. V. 24.

8. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. V. 26.

9. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. C. VI. v. 1.

10. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. V. 2.

11. Nolite errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. V. 7 et 8.

12. Bonum facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. V. 9.

13. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. V. 14.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX ÉPHÉSIENS.

Au sortir de Corinthe, où il avait été poursuivi et accusé par les Juifs, saint Paul se rendit à Éphèse, ville de l'Asie Mineure, dans l'Ionie. Il y demeura trois ans entiers, opérant chaque jour de nombreuses conversions, et toujours en butte aux persécutions les plus cruelles.

1. In quo[1] habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus. C. I. v. 7.

2. Quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati : et hoc non ex vobis, Dei enim donum est ; non ex operibus, ut ne quis glorietur. C. II. v. 5, 8 et 9.

1. Jésus-Christ.

3. Obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientiâ supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. C. IV. v. 1, 2 et 3.

4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. V. 25.

5. Sol non occidat super iracundiam vestram. V. 26.

6. Nolite locum dare diabolo. V. 27.

7. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. V. 29.

8. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitiâ. V. 31.

9. Estote invicem benigni, misericordes, donantes iuvicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. V. 32.

10. Estote imitatores Dei, sicut filii carıssimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. C. v. v. 1 et 2.

11. Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. V. 3 et 4.

12. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus

cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri. V. 18, 19 et 20.

13. Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. C. VI. v. 1.

14. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione; ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. V. 2 et 3.

15. Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. V. 8.

16. Vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum. V. 9.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX PHILIPPIENS.

Après le premier concile de Jérusalem, qui fut convoqué sur la proposition de saint Paul, en 51, et avant ses prédications dans la Grèce proprement dite, l'apôtre se rendit en Macédoine, où il fut battu de verges et jeté dans les fers. Cependant les magistrats eux-mêmes, effrayés par un miracle, vinrent le délivrer. La ville de Philippes était située dans la partie nord-est de la Macédoine, sur les confins de la Thrace.

1. Dignè Evangelio Christi conversamini. C. I. v. 27.

2. Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. V. 29.

3. Nihil per contentionem, neque per inanem

gloriam ; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. C. II. v. 3.

4. Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ sunt aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. V. 4 et 5.

5. Carissimi mei, cum metu et tremore vestram salutem operamini : Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bonâ voluntate. V. 12 et 13.

6. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. C. III. v. 8.

7. Nihil solliciti sitis ; sed, in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. C. IV. v. 6.

8. De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. V. 8.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX COLOSSIENS.

Colosses était une ville de la Phrygie, grande contrée au centre de l'Asie et à l'est de la Galatie; elle était située sur le fleuve Méandre, non loin de Laodicée. Saint Paul y vint sans doute prêcher après son séjour en Galatie.

1. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei se-

dens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. C. III. v. 1 et 2.

2. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram ; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. V. 5.

3. Deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. V. 8.

4. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus qui creavit illum. V. 9 et 10.

5. Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. V. 12.

6. Supportantes invicem, et donantes vobismet ipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. V. 13.

7. Super omnia hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. V. 14.

8. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. V. 17.

9. Filii, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. V. 20.

10. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus. Scientes quòd a Domino accipietis retributionem hereditatis : Domino Christo servite. V. 23 et 24.

MAXIMES TIRÉES DES ÉPITRES DE SAINT PAUL AUX THESSALONICIENS.

Saint Paul, du temps qu'il prêchait le christianisme en Macédoine, visita Thessalonique, où il fit de nombreuses conversions. Thessalonique, qui avait porté d'abord le nom de Therma, était située au fond du golfe Thermaïque, dans la contrée de la Macédoine appelée Mygdonie.

1. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum. Épître I. c. IV. v. 3, 4 et 5.

2. Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in caritate propter opus illorum : pacem habete cum eis. C. V. v. 12 et 13.

3. Omnia probate; quod bonum est, tenete; ab omni specie malâ abstinete vos. V. 21 et 22.

4. Nolite deficere bene facientes. Épître II. c. III. v. 13.

MAXIMES TIRÉES DES ÉPITRES DE SAINT PAUL A TIMOTHÉE.

Timothée, disciple de saint Paul, qui le convertit au christianisme, était né dans la Lycaonie, contrée de l'Asie Mineure, voisine de la Phrygie, d'un père païen et d'une mère juive, dans la ville de Lystre, où saint

Paul fut lapidé et laissé pour mort sur la place. Après avoir longtemps suivi saint Paul dans ses voyages, Timothée s'arrêta à Éphèse, dont il fut le premier évêque. C'est après cette séparation que saint Paul lui adressa les deux épîtres d'où sont extraites les maximes suivantes.

1. Finis præcepti est caritas de corde puro et conscientiâ bonâ et fide non fictâ. Épître I. c. I. v. 5.

2. Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. C. II. v. 1, 2, 3 et 4.

3. Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus. V. 5 et 6.

4. Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sinè irâ et disceptatione. V. 8.

5. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ; sed, quod decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera. V. 9 et 10.

6. Ineptas et aniles fabulas devita : exerce autem te ipsum ad pietatem ; pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. C. IV. v. 7 et 8.

7. Si quis suorum, et maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. C. v. v. 8.

8. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. Dicit enim Scriptura : Dignus est operarius mercede suâ. V. 17 et 18.

9. Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. C. vi. v. 9.

10. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. V. 10.

11. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum ; bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. V. 17, 18 et 19.

12. Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis : noli itaque erubescere testimonium Domini nostri. Épître II. c. i v. 7 et 8.

13. Labora sicut bonus miles Christi Jesu : nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. C. ii. v. 3 et 4.

14. Si commortui sumus, et convivemus ; si sustinemus, et corregnabimus ; si negaverimus, et ille negabit nos. V. 11 et 12.

15. Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. V. 15.

16. Cognovit Dominus qui sunt ejus. V. 19.

17. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. V. 19.

18. Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis. V. 24, 25 et 26.

19. Hoc scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi; parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sinè affectione, sinè pace, criminatores, incontinentes, immites, sinè benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magìs quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem ejus abnegantes : et hos devita. C. III. v. 1, 2, 3, 4 et 5.

20. Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur. V. 12.

21 .Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. V. 16 et 17.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL A TITE.

Tite ou Titus, né en Grèce, fut converti par saint Paul à la foi chrétienne. Saint Paul, après l'avoir gardé auprès de lui comme secrétaire et comme interprète, l'envoya à Corinthe pour apaiser les querelles qui troublaient cette Église. Vers l'an 63, saint Paul nomma Tite évêque de l'île de Crète, et c'est dans son diocèse que Tite reçut l'épître d'où sont extraites les maximes suivantes.

1. Juvenes hortare ut sobrii sint : in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile. C. II. v. 6, 7 et 8.

2. Apparuit gratia Dei salvatoris omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobriè et justè et piè vivamus in hoc sæculo : exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. V. 11, 12, 13 et 14.

3. Quum benignitas, et humanitas apparuit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius heredes simus secundùm spem vitæ æternæ. C. III. v. 4, 5, 6 et 7.

4. Ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. V. 8.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT PAUL AUX HÉBREUX.

L'Épître aux Hébreux est adressée aux Juifs qui avaient embrassé le christianisme. Saint Paul les exhorte à persévérer dans leur foi ; il leur remet sous les yeux les points principaux de la religion chrétienne, les préceptes de sa morale, et leur annonce qu'il espère les visiter bientôt avec Timothée.

1. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus[1] : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. C. IV. v. 13.

2. Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similititudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. V. 15 et 16.

3. Salvare in perpetuum potest[2] accedentes per semet ipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis. C. VII. v. 25.

4. Irritam quis faciens legem Moysi, sinè ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Tes-

1. Le Seigneur.
2. Le sujet est Jésus-Christ.

tamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? C. x. v. 28 et 29.

5. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. V. 31.

6. Sinè fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. C. xi. v. 6.

7. Adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. C. xii. v. 2.

8. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversùm semet ipsum contradictionem; ut ne fatigemini animis vestris deficientes. V. 3.

9. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. V. 11.

10. Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sinè quâ nemo videbit Deum. V. 14.

11. Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. C. xiii. v. 14.

12. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. V. 17.

13. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum. V. 20 et 21.

MAXIMES TIRÉES DE L'ÉPITRE DE SAINT JACQUES.

Saint Jacques le Mineur, l'un des douze apôtres, frère de saint Simon et de saint Jude, fils de Marie, la sœur de la Vierge, et cousin de Jésus-Christ, fut choisi pour évêque de Jérusalem, peu de jours après l'Ascension. Le grand prêtre Ananus le fit précipiter du haut du temple, en l'an 62. On a de saint Jacques une épître canonique d'où sont extraites les maximes qui suivent.

1. Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. C. I. v. 5 et 6.

2. Nemo, quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur a concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum : peccatum verò, quum consummatum fuerit, generat mortem. V. 13, 14 et 15.

3. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. V. 17.

4. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. V. 19 et 20.

5. Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religiò. V. 26.

6. Religio munda et immaculata apud Deum et

Patrem hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. V. 27.

7. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. C. II. v. 10.

8. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? V. 14.

9. Tu credis quoniam unus est Deus ; bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt. V. 19.

10. Sicut corpus sinè spiritu mortuum est, ita et fides sinè operibus mortua est. V. 26.

11. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. C. III. v. 2.

12. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat : ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! Lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehennâ. V. 5 et 6.

13. Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiâ et fructibus bonis, non judicans, sinè simulatione. V. 17.

14. Non habetis, propter quòd non postulatis : petitis et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. C. IV. v. 2 et 3.

15. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. V. 4.

16. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. V. 6.

17. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. V. 8.

18. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. V. 10.

19. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris quæ advenient vobis. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutrîstis corda vestra in die occisionis. C. v. v. 1, 3 et 5.

20. Exemplum accipite exitûs mali, laboris et patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt : sufferentiam Job audîstis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator. V. 10 et 11.

21. Tristatur aliquis vestrûm ? oret. Æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei. V. 13, 14 et 15.

22. Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multùm enim valet deprecatio justi assidua. V. 16.

23. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum ; scire debit quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore

viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. V. 19 et 20.

MAXIMES TIRÉES DES ÉPITRES DE SAINT PIERRE.

Saint Pierre, l'un des douze apôtres et le premier disciple de Jésus-Christ, prêcha le christianisme à Jérusalem aussitôt après la descente du Saint-Esprit. Arrêté par ordre du roi Hérode Agrippa, il fut miraculeusement tiré de sa prison, alla fonder l'Église d'Antioche, prêcha l'Évangile dans l'Asie Mineure, et vint à Rome dont il fut le premier évêque. Il fut martyrisé avec saint Paul sous le règne de Néron, qui le fit crucifier la tête en bas. Il nous reste de lui deux épîtres, dont la première est adressée aux Églises du Pont, de la Galatie, de la Cappadoce et de la Bithynie.

1. Secundùm eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. Épître I. c. I. v. 15 et 16.

2. Et si Patrem invocatis eum, qui sinè acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus, in timore incolatûs vestri tempore conversamini. V. 17.

3. Animas vestras castificantes in obedientiâ caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs. V. 22.

4. Omnis caro ut fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. Verbum autem Domini manet in æternum. V. 24 et 25.

5. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. C. II. v. 13 et 14.

6. Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. V. 15.

7. Omnes honorate; fraternitatem diligite; Deum timete; regem honorificate. V. 17.

8. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. C. III. v. 12.

9. Omnium finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis caritatem continuam habentes; quia caritas operit multitudinem peccatorum. C. IV. v. 7 et 8.

10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. V. 10.

11. Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. V. 13.

12. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. V. 14.

13. Adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. C. V. v. 5.

14. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ; omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. V. 6 et 7.

15. Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. V. 8 et 9.

16. Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. V. 10.

17. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ luçenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris : hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia : sed, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Épître II. c. I. v. 19, 20 et 21.

18. Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos : magis autem eos qui post carnem in concupiscentiâ immunditiæ ambulant. C. II. v. 9 et 10.

19. Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. C. III. v. 8.

20. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant ; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. V. 9.

21. Adveniet dies Domini ut fur : in quo cœli

magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem et quæ in ipsâ sunt opera exurentur. V. 10.

22. Vos præscientes, custodite : ne insipientium errore traducti excidatis a propriâ firmitate. Crescite verò in gratiâ et in cognitione Domini nostri et salvatoris Jesu Christi. V. 17 et 18.

MAXIMES TIRÉES DES ÉPITRES DE SAINT JEAN.

Saint Jean l'Évangéliste, qu'il ne faut pas confondre avec saint Jean-Baptiste, le précurseur du Messie, était frère de Jacques le Majeur ; il fut l'un des douze apôtres et le disciple bien-aimé de Jésus-Christ. Après la mort du Sauveur, il alla prêcher l'Évangile dans l'Asie, où il fonda plusieurs églises, et jusque chez les Parthes. Arrêté et conduit à Rome en 95, sous Domitien, il fut plongé dans une cuve d'eau bouillante, d'où il sortit sans avoir éprouvé aucun mal. Il fut relégué alors dans l'île de Patmos, voisine de Milet. Plus tard, sous Néron, il retourna à Éphèse, son séjour ordinaire, et y composa son Évangile. Il écrivit aussi trois Épîtres, que l'on met au nombre des écrits canoniques, et d'où sont extraites les maximes suivantes.

1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Épître I. c. I. v. 8.

2. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est[1] et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. V. 9.

1. Le sujet est Jésus-Christ.

3. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. C. II. v. 1 et 2.

4. Qui dicit se nôsse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. V. 4.

5. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. V. 6.

6. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. V. 9.

7. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. V. 10.

8. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo : quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia ejus : qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. V. 15, 16 et 17.

9. Et nunc, filioli, manete in eo, ut, quum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. V. 28.

10. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus : propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. C. III. v. 1.

11. Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, quum ap-

paruerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut et ille sanctus est. V. 2 et 3.

12. Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. V. 8.

13. Hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum, non sicut Caïn, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum : et propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant; fratris autrem ejus, justa. V. 11 et 12.

14. Qui non diligit, manet in morte. V. 14.

15. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere. V. 16.

16. Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo, facimus. V. 21 et 22.

17. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. V. 23.

18. Qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo : et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis. V. 24.

19. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. C. IV. v. 10.

20. Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. V. 16.

21. Si quis dixerit quoniam: « Diligo Deum,» et fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? V. 20.

22. Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus; et mandata ejus gravia non sunt. C. v. v. 3.

23. Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia, quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos. V. 14.

24. Hæc est caritas, ut ambulemus secundùm mandata ejus. Épître II. c. I. v. 6.

25. Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est: qui bene facit, ex Deo est; qui malè facit, non vidit Deum. Épître III. v. 11.

MAXIMES TIRÉES DE L'APOCALYPSE DE SAINT JEAN.

L'Apocalypse (ou révélation) fut écrite par saint Jean pendant son exil à Patmos. Elle se divise en trois parties : la première contient une instruction adressée aux évêques de l'Asie Mineure; la seconde décrit les persécutions que doit souffrir l'Église et les châtiments réservés par Dieu aux persécuteurs; enfin, la troisième montre le futur bonheur de l'Église triomphante.

1. Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacer-

dotes Deo et Patri suo, ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. C. I. v. 5 et 6.

2. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. C. II. v. 10.

3. Qui vicerit non lædetur a morte secundâ V. 11.

4. Esto vigilans; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies quâ horâ veniam ad te. C. III. v. 2 et 3.

5. Ego quos amo, arguo et castigo: æmulare ergo, et pœnitentiam age. V. 19.

6. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. V. 20.

7. Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum. C. XIV. v. 7.

8. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. V. 13.

9. Exite de illâ [1], populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. C. XVIII. v. 4.

1. *Illâ*. Babylone.

10. Timidis, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure : quod est mors secunda. C. xxi. v. 8.

11. Non intrabit in eam[1] aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. V. 27.

12. Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. C. xxii. v. 11.

13. Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. V. 12.

1. *Eam*. La Jérusalem triomphante.

FIN.

De l'Imprimerie de Ch. Lahure (ancienne maison Crapelet), rue de Vaugirard, 9, près de l'Odéon